



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Evphrasia V. 13. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. EUPHRASIA V. 13. Martii.

NON facile ulla alia Virgo splendorem generis sui, ut EUPHRASIA novit æstimare; quippe quæ alios quantumvis nobiles toros alto animo despexit omnes, unum CHRISTI ambitiosa expetiit. Fortè in hunc fixum cruci oculos defixerat; cùm, ut amor facile omnia sibi fingit, quæ arrident, passis brachiis amplexum offerri sibi interpretata illico in crucem involavit, & amatum complexa etiam ipsa, æternum illi suos amores devovit; quin mox futurarum nuptiarum flammeum inter sacras Virgines accepit. Interea literæ adsunt à Theodosio Imp. quem sanguine contingebat. Is quod quinquennem Ordinis Senatorii Principi viro desponderat, jubebat nunc in ejus manus venire EUPHRASIAM. Sed pulchrè illa se jam in alterius manus venisse rescripsit, nec ex re suâ, nequero ex familiæ dignitate fore, immortalisponso mortalem antepone. Itaque jam liberè amoris suo vacans, sub die cibi sui que aliquando in trigessimum diem, sapius in septimum oblita, ab inferno rivali in puteum præceps acta, ferventi perfusa, aliaque perpeffa, cùm satis jam Spõso se probasset, ad nuptias est evocata. Illas splèdidissimè adornati vidit in celo, quæ Asceterio Magistra

præerat, eoque abductam EUPHRASIAM à Sponsi MATRE corollâ nuptiali, & dote in singulas virtutes donari. Quis jam dubitet pulchram EUPHRASIAM fuisse, quam tanto studio matrum longè pulcherrima multò pulcherrimo filio conciliabat? *Ex Surio.*

B. HENRICVS C. 13. Martii.

NON abluit indoles HENRICI à stirpe suâ. Regius puer mammæ & matris, & mundi lallare generosus recusavit, & ad Magni Francisci ubera, vulnera, animum appulit. Interea parente mortuo Daniæ Rege, viduum regni sceptrum & corona caput Henrici & manum ipsa ambiebat, ingerebant hæc regni proceres, sponsa invitabat, & denique mater impellebat. Per tot tamen obstacula evadit HENRICVS in solitudines, siusque ipse Rex sibi imperat. Sed honor, quò nemo alius fugitivos citiusprehendit, HENRICVM quoque in suis latebris invenit, gemmeisque vinculis ligatum cum publicâ regni latitiâ ad solium reducit. At mater, (quis credat?) illa mater, quæ nuper amore filium deperibat, in novercam ecce abit, &, sive quòd imperandi dulcedine capta, socium regni nec filium vellet, sive quòd filii vultum jam minimè HENRICVS præ se ferret (austera vivendi ratio deformârat) in
rogum